

tissimus, desiderio tam mirabilium Experimentorum incensus, & ipse sibi confici curavit Antliam quendam Pnevumaticam, à prioribus tamen haud parùm differentem; cujus fabricam & Effectus v. in *Ipsius Colleg. Curioso, Tentam. XIII.*

(51.) De his Guttis sive lacrymis vitri (*Spring-Bläslein*) v. laudatam *Reyberi Dissertationem c. XIII. & Job. Dan. Majoris Seefahrt/ num. 55.*

(52.) Fuit nempe Amstelodami Oenopola quidam, *Nicolaus Petter* dictus, qui artem Scyphos vitreos, quos vulgò die *Römer* vocamus, per certum vocis suæ sonum rumpendi invenit, calluitq; , illiusq; experimenti nova quotidiè specimina curiosis peregrinatoribus unà cum filio suo exhibuit; quod deinde & alii tentarunt: v. *Morhofii Epistol. de hoc Experimento ad Job. Dan. Majorem perscriptam, & Kiloni An. 1672. editam. Item CL. Kirchmajeri Schediasma de Viribus mirandis Toni Consoni, c. 2.*

(53.) Totum hoc artificium aëronauticum in compendio exponit *Dn. Sturmius in Colleg. Curios. Tentam. X.* Ipsius *Lanae* verba habes in Auctario illius Tentaminis. Meritò autem de hoc invento idem, quod de Inventione acüs Magneticæ, pulveris pyrii, & Typographiæ judicium fert *Celeberrimus Major in Navigatione sua*, illud nempe, si in ipsa praxi succederet, majora incommoda, quàm commoda pariturum esse. Quamquam & ipsi *Lanae* hæc difficultas, quod Deus non videatur unquam permissurus, ut ejusmodi machina ipso effectu succedat, propter consequentias multas civilem hominum gubernationem turbaturas, cæteris omnibus, quæ inventioni huic objici possent, major videatur. V. l. alleg.

(54.) Tale sclopetum præter alios invenit etiam *Gerikius*, quod describit *Schottus L. XI. Techn. Cur. c. XV.*

(55.) V. *Schotti Mechanicam Hydraulico-Pnevumaticam.* Non adeò densus est numerus Scriptorum, qui talia seculi nostri Inventaliteris cum laude mandarint; cum plura procul dubio artificia Hydraulica in hortis palatiisq; extructa, quàm in libris consignata extent: quorum quamplurimis uti Italia, nec non Augusta Vindelicorum, aliaq; Germaniæ loca passim affluunt, ita nec *Noriberga* nostra iis prorsus exhausta est. Vidimus siquidem nuper admodum apud Mechanicum urbis nostræ ob egregia artis specimina etiam apud exteros celebrem, *Mart. Lebnerum* varia elegantissima pariter ac jucundissima Opera Hydraulica, quorum aliqua